

CAPUT XXVII. DOLET, QUOD TAM DIU A DEO ABFUERIT

Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua, et tam nova, sero te amavi. Et ecce intus eras, et ego foris, et ibi te quaerebam; et in ista formosa, quae fecisti, deformis irrueram. Mecum eras, et tecum non eram. Ea me tenebant longe a te, quae, si in te non essent, non essent. Vocasti, et clamasti, et rupisti surditatem meam. Coruscasti, splenduisti, et fugasti caecitatem meam. Flagrasti, et duxi spiritum, et anhelo tibi. Gustavi, et esurio, et sitio. Tetigisti me, et exarsi in pacem tuam.

CAPUT XXVIII. DE MISERIA VITAE HUMANAЕ.

Cum inhaesero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor et labor, et viva erit vita mea, tota plena te. Nunc autem quoniam, quem tu imples, sublevas eum, quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum. Contendunt laetitiae meae flendae cum laetandis moeroribus, et ex qua parte stet victoria, nescio. Hei mihi, Domine, miserere mei. Contendunt moerores mei mali cum gaudiis bonis, et ex qua parte stet victoria, nescio. Hei mihi, Domine, miserere mihi, hei mihi! Ecce vulnera mea non abscondo. Medicus es, aeger sum; misericors es, miser sum. Numquid non tentatio est vita humana super terram? Quis velit molestias et difficultates pati? Tolerari jubes eas, non amari. Nemo, quod tolerat, amat, et si tolerare amat. Quamvis enim gaudeat se tolerare, mavult tamen non esse, quod toleret. Prospera in adversis desidero, adversa in prosperis timeo. Quis inter haec medius locus, ubi non sit humanae vitae tentatio? Vae prosperitatibus saeculi, semel et iterum, a timore adversitatis, et a corruptione laetitiae! Vae adversitatibus saeculi, semel et iterum et tertio, a desiderio prosperitatis, et quia ipsa adversitas dura est, et naufragat tolerantia! Numquid non tentatio est vita humana super terram sine ullo interstitio?